

Nf. 24.

66

PRO-RECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
IO. HENRICVS
MICHAELIS,

SS. TH. D. EIVSDEMQUE ET LL. OO. P. P. O.

VNA CVM
DIRECTORE, CANCELLARIO,
SINGVLISQVE
PROFESSORIBVS

AD
NATIVITATEM
CHRISTI,

69.

VT PORTAM TOTIVS VITAE NOVAE,
DEVOTE SALVTANDAM ET AMPECTENDAM


HORTATVR.

PRO RECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
IO. FRIEDRICHVS
MICHAELIS

DIRECTOR BIBLIOTHECAE
PROFESSORIBVS



NATIVITATEM
CHRISTI
VT PORTAM TOTIVS VITAE NOVAE
DEVOTE SALVANDAM ET AMPLICANDAM
HORATVR



Otius Vitæ nostræ sanan-
dæ causâ Salvatorem natum esse,
grauissimis verbis docet Auctor E-
pistolæ ad Ebræos c. 2. v. 14. 15.
Cum, inquit, pueri participes
facti sint carnis & sanguinis, & ipse
pariter participem se fecit eorum-

dem, ut per mortem aboleret eum, qui potentiam ha-
bebat mortis, hoc est, diabolum, & dimitteret hos (li-
beros) quotquot metu mortis *διὰ τῆς θανάτου τῆς ἡμῶν* per omnem
vitam obnoxii erant seruituti.

Sentit sane hanc ex lapsu seruitutem natura, quic-
quid simulent quandoque vel dissimulent mortales.
Hinc decebat Eum, propter quem omnia, & per quem
omnia, Ducem salutis deperditæ per passiones consum-
mare. v. 10. 17. 18. eoque Ipse *corpus* aptare. c. 10. v. 5. 10.
debellando scilicet in ipsa carne nostra diabolo, metum-
que ita seruilem mortis per ipsam mortem sanctissimam
repellendo.

Et tanti quidem negotii, quod singulis incumbit
ponderandum, lineamenta prima, imo fontes & do-
cumenta reperiuntur in *Genesi*; inde se diffundentia per
totas sacras literas. Quæcunque enim ibi leguntur de

termore Adami, resonante Dei ad hominem voce: ubi
tu? c. 3. v. 7. 8. 9. 10. de diebus vite hominis v. 17. de in-
terdicta itidem iam arbore vite. v. 22. 24. Hæc, inquam,
etsi breui pagella diduci minus possunt, innuunt tamen,
quid mansurum fuisset *אין יוֹ חַיִּים*, omne יוֹ vivere Euige-
narum, nisi serpenti seductori opposita fuisset sententia
de femine mulieris, nisi que per nouam, quam decreuit,
Genesim noua porta vitæ diuinitus adinuenta fuisset, & ad-
uersus iustam maledictionem mœstis hominibus osten-
sa, vna cum castigationibus medicinalibus. v. 15. 20. 24.
In familia Seth, cum nasceretur Noah, dixit pius ille
Lamech pater: hic *consolabitur* nos ab opere nostro, & a
labore manuum nostrarum ex terra, cui *maledixit* Ieho-
yah. c. 5. v. 29. Dictis his de Noah, subesse quoque id,
quod de *solatio* omnium gentium prædixit Haggai pro-
pius c. 2. v. 7. dubitare nos non finit affectus omnium
credentium, ceu expectantium *solatium* Israel, descri-
ptus Luc. 2. v. 25. 38. Priscorum certe fidelium metho-
dus ea fuit, vt sub miseræ vitæ huius sensu iusto (quem
non respuebant more Cainitarum) venas vitæ promif-
sæ humillime indagarent & eruerent. Inde se armabant
isti aduersus omnes casus & terrores per *omnes dies vite*.
Luc. 1. v. 74. 75. 79. Ita se gesserunt pii, quotquot vixerunt
ad nostra vsque tempora, in suo quisque vitæ genere.

Non proinde ingratum fuerit nostris, qui studia co-
lunt memoriamque amant propioris ævi, relegere non-
nulla, quæ hanc in rem *Philippus Melanchthon* habet in e-
pistolis, Vir doctissimus. *Deploro*, ita scribit circa has
ferias suo Georgio Principi Anhaltino, *deploro & meam
& totius generis humani duritiam, quod tanti operis diuini con-
sideratione non ardentius adscimur.* Ad eundem A. 1547.
ipso die natali nostro monet *initium totius ecclesiæ fuisse*
pro-

promissionem Dei de semine salutari, editam post lapsum Adæ. Confugio igitur, pergit, ad unum hoc præsidium, videlicet ad semen salutare, natum ex Virgine. Non sum Epicureus, sed spero nostros gemitus Deum exauditurum esse, & mitigaturum publicas & priuatas calamitates. Et paulo post: Si genus humanum casu aut tantum nature legibus sine Dei gubernatione regeretur, nec seruata esset ecclesia antea, nec deinceps seruaretur in tam horrendis confusionibus. Sed firmissima fide statuamus, semper Filium Dei colligere, & inter ingentes procellas ac tumultus imperiorum seruare aliquem cœtum, in quo lucet agnitio Dei, & ibi quidem seruire, ubi sunt mediocria studia doctrinæ a Deo tradita. Sic inquit ipse Filius Dei: ero vobiscum vsque ad consummationem seculi. Et Ireneus inquit: Semper adsuit generi humano Filius Dei. Hac spe & alia multa communis vitæ officia facio. Multa accidunt singulis hominibus, inextricabilia humano consilio. Sed ideo nos ita Deus exercet, quia vult nos non a nostris pendere consiliis, sed ab ipso. Ideo Filius Dei assumpsit humanam naturam, quia miseri sumus, vt nostra onera in se deriuaret, & nos sanet. Non igitur abiiciamus doctrinæ ipsius meditationem hoc tristi tempore. Imo fides in calamitatibus magis accendi potest, quam in otio & in luxu. Accessit ad nos Filius Dei, non vt otiosis animis de eo philosophemur. Interim vult nos sedulo in propagationem literarum & salutaris doctrinæ incumbere, & inuentis studiis accendere. Rursus die natali anno sequente 1548. ad eundem ecclesiæ præsulem: apud Ezechielent iubet Deus Angelum parcere iis, qui gemunt propter profanationes. Inter tales vitam & nos seruemur!

Et quid non iisdem in feriis eodemque affectu Vir de salute publica sollicitus scripsisse ibi legitur ad ipsum Legatum Pontificium in conuentu Wormaciensi Anno 1540. ad Balthasarem a Promniz, episcopum Vratislaui-

aiensem, non male animatum, ad Petrum Paulum Vergerium, episcopum adhuc Iustinopolitanum, ad Fridericum Nauseam, Viennensem, ad Fridericum Norinbergæ tum Abbatem Aegidianum. In historia autem istius colloquii Wormaciensis, epistolis Philippinis inserta, materia attingitur de peccato originis ita, ut adhuc nobis omnibus in monumentum sit. *Deploranda erat omnium lacrymis humani generis miseria, quod hæc præstans natura horribili ira Dei ingenti mole calamitatum huius vita & morte ipsa oppressa est. Præterea imagine Dei in nobis deformata, nunc in tenebris & contumacia perpetua contra legem Dei versatur. Hoc tantum malum isti Epicurei extenuant. Non arbitror autem, quæquam pium adeo esse lentum ἡ ἀχολον, ut sine fremitu verborum prestigias legere possit.* - - - Quæ placidi Auctoris seueritas recordari iubet Zeli, quò idem paulo ante vsus fuerat An. 1539. ad Senatum Venerum in causa Serueti. *Belligeratur, inquit, diabolus cum vera ecclesia, quibus potest, artificis, cum offundere opiniones contra verbum Dei, cum auellere animos ab illa regula conatur. Sed hæc militia paucis nota est. Ideo omnibus ætatibus ab initio mundi passim sparsi & propagati sunt errores omnis generis. Cum enim omnium hominum mentes natura ducantur, ut aliquid de religione querant, & tamen negligenter tueantur verbum Dei, ac libenter assentiantur humanis speculationibus, facile excutitur hominibus Verbum Dei.*

Fatemur, minus concinnum videri posse, quod vnus viri tot cumulantur testimonia. Enimuero cum non fiat id fallendi temporis, sed necessarii argumenti causa, iungamus adhuc aliqua ad amicos perscripta. Anno 1523. Cal. Ian. ad Ioachimum Camerarium, quo utebatur Philippus familiarissime: *presentissimum reme-*
diu

diū calamitatum scis a Christo tibi petendum esse. Quod si
diuitias crucis noris, facile superaueris tristissima quaque. Ne-
que dubito, firmiorem animum fore, si te consuleris contem-
platione eorum, qua velut in theatro piis omnibus exhibuit
caelestis Pater in historia Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi.
Vix credas, quam me horum casus, quomocumque pertur-
batur, erigant. - - Excitemus igitur animos, nec peccata,
nec mundi iustitiam, nec diaboli potentiam anteferamus victi-
ma pro nobis mactata, qua est Filius Dei, natus ex Virgine.
Anno 1553. die Iohannis euangelistæ, seu Festi nostri na-
taliitii ultimo, ad Iohannem Matthesium non contem-
nenda differit & de primo exilio, in quo primi parentes
caelestem patriam amiserunt, & de Filio Dei, qui pro
nobis exul factus est, ut reducat nos in æternam patri-
am. Et A. 1543. mi Matthesi, de presentibus arumnis, de
presenti beneficio disputemus. Magna res nobis cogitanda
sunt. Postquam lapsa est humana natura, cogitemus seriam
fuisse iram Dei, & quidem tantam, vt nisi tunc Filius Dei
fuisset deprecator, tota hominum natura reiecta fuisset. Condi-
derat Deus homines, vt se patefaceret, vt celebraretur, de-
nique vt delectaretur hoc opere. Ab hoc se contemptum esse ve-
re irascebatur: sed intercessit pro nobis Filius. Rursus magni-
tudo misericordia declaratur; qua tamen, si ira non cogitetur,
declarari non potest. Hos locos agitandos & illustrandos esse
duco. Omittamus disputationes, que plus habent subtilitatis
quam utilitatis. Ao. 1547. ad Paulum Eberum, pariter
amicum, iisdem his diebus: lugeamus communes arumnas
generis humani vna cum Abel & ceteris ecclesia principibus, &
a Filio Dei consolationem petamus & expectemus. Et A. 1556.
ad Georgium Agricolam: Christum, custodem ecclesia sua,
ideo massam naturæ humane adsumpsisse, ut nos tanquam sur-
culos

*culos sua massa insertos gestet & seruet, sicut inquit: ego sum
Vitis, & vos palmites.*

En ea, quæ salutare desiderium in bonis excitare
queunt ad plura cognoscenda & imbibenda! In his sane
sibi constitit optime ad finem vsque vitæ Vir ob com-
munionem ipsorum studiorum habendus nobis in pre-
tio. Utamur ergo omnes, docentes & discentes, frua-
murque grato animo cælestibus eiusmodi deliciis ac
diuinis muneribus, in consecrationem ac directionem
totius vitæ nostræ; certissimi, *viuentes mortuos esse*, qui
sine Christi communionem vera sunt. Act. 2, 30. 39. 40.
3, 25. 26. Tit. 2, 11. 12. 13. 3, 3. 4. 1 Petr. 2, 2. 3. Rom. 9,
5. 7. 9. 26. Ef. 4, 2. 3. 4. 8, 10. 18. 19. 1 Tim. 5, 6. 11.

P. P. in academia Fridericiana. Fer. Natal.
Anno MDCCXXIII.

Typis Io. Christiani Hendelii, Acad. Frid. Typogr.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PRO-RI
ACADEMIAE F
IO. HEN
MICH
SS. TH. D. EIVSDEMO
VNA
DIRECTORE, C
SINGV
PROFES
NATIVI
CHR
VT PORTAM TOT
DEVOTE SALVTANDA
HOR



66

69.

